NOTAE AD L. ANN. SENECAE DE IRA LIBROS TRES,

Secundum Codicem Leidensem (Le.); adhibitis FR. HAASII *ad* L. ANN. SENECAE *Dialogorum Libros* V. *adnotationibus Criticis, quae insunt in Indice Lectionum Universitatis Vratislaviensis An.* MDCCCLII.



Non habebam in animo tam cito redire ad studia SENECAE, sed vir Cl. FR. HAASIUS per epistolam humanitatis plenam, additis scriptis aliquot, quae multa praeclara et recentissima SENECAE studiorum continent subsidia, ut huic Auctori operam dare pergerem me benigne invitavit. Itaque huic benevolentiae significationi pro virili parte responsurus, ea, quae ad Librorum trium de Ira editionem habeo comparata, quaeque mihi adhuc notatu digna videntur, hic communicare decrevi. Anno 1850. edidi quidem Librum I. de Ira [1], verum, quum duo reliqui non sint secuti, ille quoque libellus harum rerum peritos latuerit fere necesse est. Illos autem potissimum elegi libros, quia ad duos priores potui adhibere Codicem Leidensem, recentiorem quidem, sed plerumque cum Codice A, qui optimae est notae, congruentem. Et ex HAASII illis scriptis, et ex notarum mearum Codicisque Le. comparatione rursus id intellexi, HAASIUM in hac quoque SENECAE scriptorum parte edendi munere praeclare fuisse functum, et quamquam saepius alter aut vidisse mihi videtur, quod praetermiserat alter, aut meliorem attulisse medicinam aut alterius inventa amplificasse, inclytum illum Editorem compluri-

---

[1]) L. An. Senecae ad Novatum De Ira Lib. I. Enchusae. I. Over de Linden MDCCCL.

bus locis meam stabilivisse opinionem laetor, omnibusque nos convenire de SENECAE scriptorum emendandorum ratione fateor lubenter. Iam transeo ad librum de Ira I, quem brevius tractabo, quum plura in Editione mea inveniri possint.

NOTAE AD LIBRUM I. DE IRA.

Cap. I. § 1. *Hic* (irae adfectus) *sanguinis, suppliciorum minime humana furens cupiditate*]. Merito HAASIUS e Codd. edidit *furens*, pro *fervens*, quod in nullo Ms. legitur, sed ex trium Codd. corrupta scriptura *fruens* videtur effectum. Ego idem feci; praecipue quia *furens* his commendatur locis: *ad* MARCIAM *de Cons.* Cap. XXVI. § 4. *Quid dicam nulla hic arma mutuis furere concursibus, de Ira* III, XX. § 1. *Irae . . quae non tantum viritim furit* et CURTII Lib. X, Cap. IX. § 9. *Meleager . . furens ira. Fervere* et *fervidus* de temeritate a SENECA usurpari docet locus *de Ira* III, XXIV. § 3: *neminem* (esse) *tam maturum, cuius non gravitatem in aliquod fervidius factum casus inpingat.*

Cap. III. § 3. *Inpetus habent ferae, rabiem, feritatem, incursum: iram quidem non magis, quam luxuriam. Et in quasdam voluptates intemperantiores homine sunt. Non est quod credas illi, qui dicit:*

Non aper irasci meminit, non fidere cursu
Cerva, nec armentis incurrere fortibus ursi.

Irasci dicit incitari, inpingi: § 4. *irasci quidem non magis sciunt, quam ignoscere.* Ut HAASIUS optime de hoc capite mihi eo meritus esse videtur, quod ex § 5. molesta illa verba *regium est illud et principale aliter dictum*, tamquam glossema manifestum idque alieno loco adiectum, quum ad sequens *principale* pertineat, eiicienda putavit, ita voces eiusdem paragraphi praecedentes quas attuli: *et in quasdam voluptates intemperantiores homine sunt* non a SENECA scriptas puto, quum dictio *intemperans in voluptates* haud purae videatur latinitatis; locus certo ipse insulsus nulliusque pretii reliqua impediat et quasi dissipet. Nam versus illi pertinent manifesto ad verba: *Inpetus . . luxuriam.* Nec sequentia: *Irasci dicit incitari, inpingi*

ferenda puto, nam his verbis versus illos insulse defendisset auctor, quos prius improbaverat ipse. Similiter interpolatos locos indicavi in editione huius libri e. g. Epist. CIV. § 24.

Terribiles visu formae letumque labosque:

[*Egregie Vergilius noster. Non re dixit terribiles esse, sed visu, id est videri, non esse*]. Quis autem semel admonitus non perspiciat in verbis ex Epist. LIX. § 2. *Itaque cum dicit Vergilius noster: »Et mala mentis gaudia" diserte quidem dicit, sed parum proprie: nullum enim malum gaudium est.* [*Voluptatibus hoc nomen inposuit et quod voluit expressit: significavit enim homines malo suo laetos*], ea, quae uncis seclusi delenda esse?

Cap. IV. § 1. *Iratus potest non esse iracundus: iracundus non potest aliquando iratus non esse.* HAASIUS particulam *non* inter *iracundus* et *potest* deleri iubet, equidem eam servari velim, et Codd. auctoritate et propter sententiam. Nam discrimen inter *iratum* et *iracundum* id designare mihi videtur SENECA, ut ille, qui aliquando irascitur, idcirco nondum iracundiae vitio obnoxius esse dicendus sit; hic autem, qui propter iracundiae vitium, pronus in iram est, aliquando non a se possit inpetrare ut, etiamsi velit, non indulgeat irae: ille *non* iracundus, hic vero iratus *quidem* est: hoc est discrimen.

Cap. IV. § 3. *Quaedam* (irae) *ultra querelas et adversationes non exeunt.* Propter *querelas* requiro abominandi verbum et scribo *aversationes*, nam licet omnes Codd. hic exhibeant *adversationes*, alibi ex pluribus Codd. editum est *aversor*, *aversus* ut: *de Ira* II, 24. § 1: *Illius voltus aversior visus est; ad* MARCIAM III. § 3. *Aversaberis et alienos liberos et tuos; de Brev. vitae* X. § 1. similiter Codd. aliquot perperam exhibent *advertendam* pro *avertendam.*

Cap. V. § 2. *Hic aliorum in commodis vel inpendere se paratus est*]. Rectissime HAASIUS edidit *incommodis*, idem ego e Cod. Le. desumtum dederam, iisdemque commendaveram rationibus. Illud addo, quod *de Benef.* IV, 1. § 2. *Virtus ne-*

minem spe ac pollicitatione corrumpat, ut contra inpendere in se iubeat ex Cod. T. vox *in* delenda et apud *se: unumquemque* intelligendum videtur, de quo usu videatur Madvig. ad Cic. *de Finib.* II. § 25.

Cap. V. § 5. *Nec ulla dura videtur curatio* (medico), *cuius salutaris effectus est*]. Ut Haasius saepius eam restituendi loci ingreditur viam, ut iuxta vocem aliquam similem statuat excidisse, ita ego pro *ulla* edidi *ulla illi;* quum in Codd. nonnullis sit *nec illi dura*, in aliis *nec illa dura*, et ad Marciam XII. § 1. quoque legatur *si modo ulla illi ratio est.* Scribamus igitur, id quod melius sonat, *Nec ulla illi dura videtur curatio* cett.

Cap. VI. § 1. *Et qui alicui noluerunt prodesse, morte certe eorum respublica utatur*]. Cum Haasio alacriter exceperam Mureti emendationem *vivi* pro corrupta Codd. scriptura *alicui.* Manebat scrupulus quomodo *vivi* ita potuisset depravari. Expedivit rem Haasius emendandi ratione Pinciano, si quid video, aut I. F. Gronovio digna, scribendo nempe: *aliis vivi.*

Cap. VIII. § 6. *Quid ergo? non aliquando in ira quoque... a nocendo abstinent? faciunt. Quando?* Ut Haasius, ego quoque tribuo haec verba adversario; nec opinor Fickertum voluisse aliter, sed errore typographico ita expressum esse locum in eius editione. Vox autem *faciunt* immerito, ut mihi quidem videtur, Haasio suspecta fuit. Responsum incipi a voce *quando* mihi non placet propter antecedens *aliquando*, nec necessarium videtur propter Epist. XCIV. § 26. *Scis amicitias sancte colendas esse, sed non facis.*

Cap: IX. § 4. *Quos* (adfectus) *numquam conprimere possit* (ratio), *nisi pares illis similisque opposueris, ut irae metum, inertiae iram, timori cupiditatem*]. At sic pares non opponuntur, nam *inertiae* non *ira* sed *cupiditas* opponenda fuerat, ex Senecae saltem opinione qui capite sequenti scribit: *qui.. industrius* (non potest esse) *nisi cupit.* Itaque scribendum videtur *irae metum;* post has duas voces rursus scriptum erat,

puto, *iram*, id quod probat mihi Cod. V, in quo duae tantum illae reperiuntur, reliquae omittuntur; quia librarius semel scripto *irae metum*, iterumque ad *iram* veniens, putabat se hanc vocem cum reliquis huius sententiae iam scripsisse: hae autem erant: *iram timori, inertiae cupiditatem.*

Cap. XVI. § 10. *Incipit magno inpetu, deinde deficit ante tempus fatigata*]. HAASIUS cum iudicio ex Cod. A, et quatuor aliis dedit *defecit*, eandem scripturam notavi ex Cod. Le.

Cap. XVI. § 20. *Dabit inpunitatem* (ratio) *nec accipientibus nocituram nec dantibus*]. Coniicio *danti* scribendum esse pro *dantibus.* Nam loquitur SENECA de una ratione, quae sola ut iudex de multis sententiam dicit. Contra singularem pro plurali numero librarii posuisse videntur Epist. CXX. § 22. *Omnes isti tales sunt, qualem hunc describit Horatius Flaccus, numquam eundem, ne similem quidem sibi; adeo in diversum aberrat*, ubi comma post *Flaccus* tollendum scribendumque videtur e VI. Codd. *aberrant.* Redit ibi iam SENECA a persona ab HORATIO ample descripta, ad *omnes.*

LIBER II.

Cap. I. § 2. *Nam et in corpore nostro ossa nervique et . . . minime speciosa visu prius ordinantur, deinde haec ex quibus omnis in faciem adspectumque decor est*]. Voces *in faciem adspectumque decor est* explicatu difficiles sunt, nec tamen ideo mutandae secundum Codd. P. 3. Col., et Leidensem in: *in facie adspectuque decor est*; sed ita explicandae: *Facies* hic splendorem significat, ut saepius: Epist. LVIII. § 24. *Ergo ista imaginaria sunt et ad tempus aliquam faciem ferunt: nihil horum stabile nec solidum est. In* cum accusativo apud nostrum designat progressum ad id, quod sequenti substantivo notatur: *ad* MARCIAM I. § 3. *Restituisti in publica monumenta libros* (ut essent libri monumenta publica, quae verba perperam

accepit Ruhkopfius); verba denique allata ita explicanda videntur): *deinde haec ex quibus omnis decor est, qui conciliat splendorem et efficit ut corpus,* (ob pulchritudinem) *adspiciatur.*

Cap. I. § 4. *Ille* (inpetus) *simplex est: hic conpositus . . . Intellexit aliquid, indignatus est . . . haec non possunt fieri, nisi animus eius quibus tangebatur adsensus est*]. Scribatur ex aliquot Codd., quos inter est Le. *iis* pro *eius.* Nam genitivus ad nullum substantivum nisi ad *inpetus* referri posset, at inpetui animus tribui nequit; *iis* vero accuratam efficit et acutam sententiam.

Cap. III. § 1. *Nihil ex his quae animum fortuito inpellunt adfectus vocari debet . . . Ergo adfectus est non ad oblatas rerum species moveri, sed permittere se illis*]. Quicunque hunc locum considerat, mihi, ut opinor, assentietur scripturam unius Cod. Le.: *Ergo adfectus non est* vulgatae longe esse praeferendam; quia *non* haud verbo *moveri,* sed substantivo *adfectus* iungendum est.

Cap. III. § 4. *Hanc iram non voco, sed motum animi.* Egregie Haasius *sed,* quae particula in optimis Codd. deest, pro coniectura habet, eiusque loco iterat verbum *voco*, quod post idem verbum facillime excidere potuit, ita ut legendum sit: *Hanc iram non voco, voco motum animi.*

Ibid. § 5. *Numquam dubium est quin timor fugam habeat, ira inpetum. Vide ergo an putes aliquid sine adsensu mentis aut peti posse aut caveri.* Haud supervacuum videtur monere *peti* hic non desiderandi sed aggrediendi habere notionem, ut *de Ira* I, v. § 2. *Illa* (ira) *etiam carissimos petere* (vult). Epist. CXXIII. § 15. *Adversus petentia concitemur.*

Cap. IX. § 2. *Quid enim, si quis irascatur . . . surdis imperia non exaudientibus, quid, si pueris, quod . . ad lusus . . et iocos spectent? Quid si illis irasci velis, quod aegrotant, senescunt fatigantur*]! In ultimis parum placet pronomen *illis*, idque sine substantivo praecedente quo referatur. In tribus

Codd. GDE et in editionibus antiquissimis legitur: *illis irasci velis vel qui*, in P. 4. *illis irasci velit vel qui*, in V. *illis irasci velis qui si.* Inde colligo post *velis* excidisse quaedam similia, nempe *vel iis*; his autem omissis postea ab alio additum esse *illis*, quo deleto igitur scribendum mihi videtur: *Quid si irasci velis vel iis, qui aegrotant* cet.

Ibid. §. 3. *Ne singulis irascaris, universis ignoscendum est.* In P. 2. et in Cod. Le. legimus *ignoscendum, indulgendum est.* Unam alterius explicandae causa adscriptam esse vocem per se patet. Reliqui eiecerunt *indulgendum*, mihi placet hoc retineri verbum, at *ignoscendum* deleri, quod facilius intellectu, sed SENECAE minus in usu fuit, dum creberrime utitur verbo *indulgere* in tali sensu, ut *de Clem.* I, XXIII. § 2. *In qua civitate raro homines puniuntur in ea consensus fit innocentiae et indulgetur velut publico bono*, porro Ep. XLV. § 3. *Ceterum quod libros meos tibi mitti desideras . . . indulgentiae scio istud esse, non iudicii*, Ep. LIX. § 12. *Adeo quoque indulgemus nobis, ut laudari velimus in id cui contraria cum maxime facimus*, et *de Benef.* IV. Cap. XV. § 4. *Cui* (beneficio) *infeliciter dato indulgere tam naturale quam liberis parvis*, (ubi HAASIUS coniicit *nato* pro *dato* scribendum esse).

Ibid. § 1. *Adde nunc publica periuria gentium et rupta foedera et in praedam validioris quicquid non resistebat abductum.* Praepositio *in*, hic sane languida, quam delevit HAASIUS secundum Codd. nonnullos, ab Leidensi quoque abest.

Cap. XIII. § 5. *Tota dimittatur* (ira): *nihil profutura est. Sine illa facilius rectiusque scelera tollentur: mali punientur et transducentur in melius.* FICKERTUS ex pluribus Codd. dedit *transducentur* pro *traducentur*; eamque correctionem confirmat Le. At similiter *de Ira* Lib. I, VI. § 1. e Cod. G. scribendum ei fuerat *transductione*, non *traductione*; idemque mendum tolli debet *de Benef.* II, XVII. § 5. et Ep. C. § 10. Hoc sane levius, id vero maius est, quod mihi quidem e loco allato duo ultima *in melius* quae absunt a Cod. G. delenda videntur. Nam *in melius transducere* videtur SENECAE aliena dictio, *transducere*

vero et *transductio* de ignominia publica illi plurimum in usu sunt: *de Ira* I, vi. § 1. *hic* (sapiens legislator) *damnatos cum dedecore et transductione vita exigit: de Benef.* II, xvii. § 5. *Ut malignis lusoribus propositum est conlusorem transducere:* Epist. C. § 10. *Volo luxuriam obiurgari, libidinem transduci.*

Cap. XIV. § 2. *Aliquando simulanda* (ira), *si segnes audientium animi concitandi sunt*]. Ne *audientium* cum librario Codicis V. et cum interprete Gallico, insigni La Grangio cum *auditorum* significatione scriptum putes, moneo *audire* hic idem fere significare atque *obedire*, quam explicationem confirmant hi loci: Ep. CVI. § 1. *Hanc excusationem cave audias; de Ira* I, xvi. § 11. *sibi enim indulget* (iratus),... *et audire non vult, et patrocinio non relinquit locum.*

Cap. XVI. § 2. *Errat qui ea* (animalia) *in exemplum hominis abducit, quibus pro ratione est inpetus: [homini pro inpetu ratio est*]. Ut Haasius Cap. XVIII. ex loco *ut in corporum cura alia de tuenda valetudine, alia de restituenda praecepta sunt: ita aliter iram debemus repellere, aliter conpescere, ut vitemus* duo ultima languida eiicienda censuit, quae iam dudum concoquere nequiveram, emendare autem frustra eram conatus, ita loco allato voces *homini pro inpetu ratio est* inepto tribuo lectori, qui eas e praecedentibus facillime consarcinare et assuere potuit; nam quid quaeso ineptius, quam statuere homini rationem, rem multo maioris pretii, datam esse, quia careat animalium inpetu, re vili et abiecta?

Ibid. § 3. *Quid, quod ne illud quidem verum est optima animalia esse iracundissima? Feras putem, quibus ex raptu alimenta sunt, meliores quo iratiores: patientiam laudaverim boum et equorum*]. Tentamina antiquissimorum Editorum *ferasve, ferasne* eo me adduxerunt ut putem genuinam scripturam esse: *Ferae, putem, quibus* cet.

Ibid. §. 4. *Simplicissimi, inquit, omnium habentur iracundi. Fraudulentis enim et versutis conparantur et simplices videntur, quia expositi sunt*]. Perperam Ruhkopfius *expositi sunt* expli-

cavit" *patent fraudibus*, neque aliter LA GRANGIUS; significat autem: quia non tecti sunt ut fraudulenti, indolemque suam non occultant. Id probant hi loci: Ep. LV. § 6. *De ipsa villa nihil tibi possum certi scribere: frontem enim eius tantum novi et exposita, quae ostendit etiam transeuntibus.* PLINII SEC. Lib. I. Ep. X. § 2. *Hunc ego . . penitus et domi inspexi . . etsi non erat laborandum . . est enim obvius et expositus.*

Cap. XXI. § 5. *Felicitas [iracundiam nutrit, ubi aures superbas adsentatorum turba circumstetit. Tibi enim ille respondeat: Non pro fastigio te tuo metiris.* HAASIUS rectissime statuit post *respondeat* signum interrogandi esse ponendum; nam ita demum verba: *Tibi . . . respondeat?* quae adsentatoris sunt, cum indignatione rogantis, intelligi possunt.

Cap. XXVIII. § 2. *Aequiores simus delinquentibus, cedamus obiurgantibus*]. Iam olim mecum statueram plurimorum Codd. scripturam *credamus*, vulgatae *cedamus* esse praeferendam, quia tum *cedimus*, cum quid imperatur: qui vero obiurgant, ii nihil imperant, sed indicant tantum vitia, quae revera nobis inesse *credere* debemus. Nunc cum gaudio comperio et hic et *de Ira* Lib. III. Cap. XXIV. § 3, ubi similiter pro *prudentiori cedamus* scribi volueram *prudentiori credamus*, HAASIUM eandem tueri scripturam.

Ibid. § 3. *Dicetur aliquis male de te locutus: cogita an prior feceris, cogita de quam multis loquaris*]. In Cod. V. scriptum est *cogita de te quam*, in *β cogita dum quam;* inde coniicio aliquid excidisse et veram scripturam esse *cogita tu de quam multis*, nam *tu* in aliis Codd. absorberi potuit ultima syllaba antecedentis cog*ita*, idque pronomen pulcre respondeat prioribus: *dicetur aliquis male de te locutus.*

Cap. XXX. § 2. *Duo sunt . . quae iracundiam concitant: primum si iniuriam videmur accepisse, de hoc satis dictum est. Deinde si inique accepisse, de hoc dicendum est*]. Quid *inique* acceperimus? iniuriam: at hoc verbum ipsum indicat rem iniquam, itaque semper fere iniuria inique accipitur. Scribe

iniqua. Egit Seneca de iniuriis, transit iam ad offensiones minores. Ipse ait statim post: *Iniqua quaedam iudicant homines, quia pati non debuerint.*

Cap. XXXI. § 5. *Adspice elephantorum iugo colla submissa, et taurorum pueris . . persultantibus terga inpune calcata*]. Acutissime et verissime, ut opinor, Haasius voces *elephantorum* et *taurorum* permutavit. Nam tauri, non elephanti iugo submittuntur, elephanti spectaculo erant saltantes ipsi, aut saltatores tergo gestantes. — Similiter locum *ad* Marciam. Cap. I. § 8. restituisse me arbitror, ut anno 1852. in *Philologo* indicavi pag. 217.

Cap. XXXV. § 5. *Inferna monstra . . subcincta serpentibus et igneo flatu.* In Codd. V. et Leid. legitur *et igne et flatu*, credo Senecam scripsisse *et igneo adflatu: de Clement.* I, xxv. § 4. *Si adflavit* (serpens), *deurit obteritque quacunque incessit. Nat. Quaest.* VI, xxvii. § 4. *Cum adflatus aeris diri . . exceperint.*

Cap. XXXVI. § 5. *Avaritiam, durissimum malum minimeque flexibile ira calcavit adacta opes suas spargere*]. Scribe *adactam* ut iungatur substantivo *avaritiam;* quam scripturam Codicum D et E corrupta lectio *adactas* aliquatenus suadet.

DE IRA LIB. III.

Cap. I. § 3. *Alia* (vitia) *accessus lenes habent . . in ira deiectus animorum est*]. Ut Cap. II. § 3. cum voluptate comperi Haasium mecum pro *saepe in ira . . itum est* restituisse *saepe in iram . . itum est:* ita hic quoque ex aliquot Codd. scribo *in iram animorum deiectus est* . . *Deiectus* pulcre sumsit Seneca a flumine, quod de montibus cum inpetu effunditur: *ad* Marciam XVIII. § 3. *deiectus fluminum*, Epist. LVI. § 3. *fluctum*

aut deiectum aquae. Scribe *ira* et rogo te in quid tum animus iam *in ira*, iam *iratus* deiiciatur?

Cap. II. § 4. *Et modo eloquio favorabilis, habitus in multo honore, iram suae concionis excepit*]. Cum HAASIO damnaveram verba *in multo honore* tamquam glossema dictionis: *eloquio favorabilis;* sed suspectis vocibus cum GRUTERO addidi *habitus;* quia adiectivum *favorabilis* tali participio nequaquam indiget; dictio vero *in multo honore* sine illo stare nequit.

Ibid. *Dissedit plebs tota cum patribus. publicum consilium, senatus ... subitos irae suae duces legit . . . supplicium manu sumpsit*]. Dele vocem *senatus* ut interpretationem haud necessariam vocum *publicum consilium.*

Ibid. § 1. *Quaedam gentes . . non novere luxuriam, quaedam, quia exercitae et vagae sunt, effugere pigritiam.* Haud alienum videtur monere *exercitae* hic, rariore significatione, idem valere atque *iactatae* (fati iniquitate): similiter *ad* HELVIAM XII. § 3. *O quanta illos caligo mentium . . . exercet, quam voluptatis causa imitantur; Nat. Quaest.* VI, XXVIII. § 3. *Nec prius pestilentia desinit, quam spiritum illum gravem exercuit laxitas coeli, ventorumque iactatio.*

Cap. V. § 3. *Conparanda* (ira) *cum pessimis est. Avaritia acquirit et contrahit quo aliquis melior utatur: ira incendit: paucis gratuita est.* Pro corrupto *incendit,* nam acutam MURETI coniecturam *inpendit* merito reiecit HAASIUS, propono *dispendit*, quod simili significatione adhibuit noster *Nat. Quaest.* IV. XIII. §. 7(9). *Unguentarios Lacedaemonii urbe expulerunt,.. quia oleum disperderent.* Quam profundendi notionem huius verbi miror vel recentissimos lexicographos neglexisse.

Cap. VII. § 2. *Ergo actiones nostrae nec parvae sint nec audaces nec inprobae.* Quod olim correxeram, nunc laetus video ab HAASIO editum esse, nempe *nec audaces et improbae;* quia duo actionum genera sibi opponuntur, *parvarum* ab una

parte, *audacium et inprobarum* ab altera. Sic Cap. VIII. § 3. *qui iram tuam nec evocent et ferant; de Ira* I, XVI· § 27. *Aut et bonum erit, aut nec magnum.* TACIT *Hist.* Lib. I, 1. *Nec amore quisquam et sine odio dicendus;* QUINCT. *Inst. Orat.* I, II. § 24. *Ita nec superior . . curam remittebat, et dolor . . concitabat.*

Cap. X. § 4. *Ille rogari invidiam iudicat: hic non rogari contumeliam*]. LIPSIUS ita explicans *invidiam*: »Quasi grave fortunae suae et invidiosum, quemquam sibi supplicare" fortasse locum intellexit, non accurate expressit; recentiores interpretes certe non assecuti sunt, quid velit auctor. Ideo locum ita expono: Ille, si rogatur, putat hoc ideo fieri, quod sibi opibus suis ab aliis invideatur, qui arbitrentur eas unicuique patere debere.

Cap. XI. § 3. *Respondisse »non magis illi se succensere quam si quis obligatis oculis in se incurrisset.* Quod HAASIUS Cap. XXV. § 1. rectissime fecit, ut ex Cod. A. in verbis: *nullam esse tantam potentiam in quam non incurrat iniuria* pro *incurrat* scripserit *occurrat*, id hoc loco non faciendum videtur, etsi nonnulli Codd. et antiquissimae Editiones eo allicere possent; nam Ep. CVIII. § 19. simillimus exstat locus: *Cum possint in parentis animam inscii incurrere, et ferro morsuve violare.*

Cap. XII. § 5. *Pugna tecum ipse: si vincere iram non potes, te illa incipit vincere. Si absconditur, si illi exitus non datur, signa eius obruamus et illam . . . occultam . . teneamus.* Plura non concoquo: *si vincere iram non potes*, ut nunc legimus *te illa incipit vincere*, quam languide, de malo tam vehementi! imo tum plane te vincet et sibi subiiciet: quid porro promittit auctor, si absconditur ira? Nihil sane: apodosis ergo deest. Itaque hanc propono medelam, eamque facillimam: *si* saepius ponendum fefellit oculos librariorum, *potes*, semel positum, bis fuerat scribendum. Itaque lego: *Pugna tecum ipse: vincere iram non potes, si te illa incipit vincere:*

potes, si absconditur, si illi exitus non datur. Signa eius obruamus et illam . . occultam . . teneamus].

Cap. XIV. § 1. *Ita conponere animum, ut . . iram aut non sentiat aut magnitudine inopinatae iniuriae exortam in altum retrahat nec dolorem suum profiteatur*]. *In altum* scil. pectus retrahat. Eiusdem substantivi omissi exemplum, quia nulla inde oritura esset obscuritas, suppeditat locus Ep. LXXX. § 6. *Saepius pauper et fidelius ridet* (quam dives): *nulla sollicitudo in alto est*, quod optime explicavit *Lipsius*: in imo et profundo pectore.

Ibid. § 3. *Bibit deinde liberalius . . et iam gravis ac vinolentus*]. Egregie HAASIUS dissecuit ultimam vocem in *vino* et *lentus*.

Ibid. *Ut scias, inquit, quemadmodum numquam excidam mihi, adprobabo iam et oculos post vinum in officio esse et manus*]. Dictio *excidam mihi* rariore sensu hic posita ita mihi videtur aperienda: *Excidere* alibi de mente ponitur, sive de memoria, ex qua res aliqua elapsa est: *de Benef.* III. Cap. I; Epist. XXVII. § 5 et 16. Hanc verbi notionem SENECA nunc transfert ad personam ipsam, sed ita credo ut *excidam* ad corporis qualitatem, *mihi* ad mentis opinionem referendum sit. Vult dicere: numquam manuum oculorumque in sagittando peritia excidit mihi, numquam spem meam frustratur.

Cap. XIX. § 1. *Quamquam aberrare alicui possimus videri*]. Acute et vere HAASIUS, id quod in Editione nondum fecerat, pro *alicui*, cuius loco Codd. exhibent *aliqui alioqui*, nunc scribendum censet *aliquo*.

Cap. XXXIV. § 1. *Cedo nunc, persequere cetera, cibos, potiones, horumque causa paratam ambitionem.* Codd. tantum non omnes dant *paratam*, vocem hic parum aptam; idcirco eam cum *Lipsio* mutare in *iratam* non audeo, sed conicio post *paratam* propter terminationem *tam*, verba *in iram*

excidisse, ut scribatur *horumque causa paratam in iram ambitionem.* Sic *de Ira* III, vi. § 3. *Quae* (res) *animum in iras paret;* Ibid. VIII. § 3. *Irae paratioris; de Ira* II, xx. § 2. *Aegram mentem in querelas parat.* De ambitione in epulis conf. *de Brevit. Vit.* XVI. § 4.

Cap. XLII. § 3. *Iam istas immicitias, quas inplacabili gerimus animo, febris aut aliquod aliud malum corporis vetabit geri. Geri* languet sane post *gerimus.* Puto illam vocem ab alio invectam esse. Sententia voce *vetabat* finita efficacior erit, ut quae in mentem revocat Tribunorum plebis imperiosam dictionem: *veto.*

Lib. III. Cap. V. § 1. *Cum lenes . . in saevitiam evocet.* Scribe ex quinque Codd. *lentos.* Sic mox Cap. XXV. § 2. *Sic immanis fera ad latratum canum lenta respexit. Lenti* sunt *frigidi* de quibus noster *de Ira* Lib. II, XIX. egit.

Ibid. § 2. *Sed cum primum sit non irasci, secundum detinere.* Scribe cum Gronovio *desinere*, ut Cap. XXXVI. § 2. *Desinet ira et moderatior erit* et saepe alibi. *Detinere* vero apud Senecam significat *occupatum tenere*, ut *de Tranq.* III. § 1. Ep. XX. § 1 et LVI. § 8.

Cap. XXVII. § 1. *Quanto satius est sanari iniuriam quam ulcisci.* Quis hoc intelligat? Scribe transpositis verbis: *sanari, quam iniuriam ulcisci*, in *quibus* apud *sanari* cogitare licebit animum iratum, ut *de Ira* III, i. § 3. *Alia vitia a ratione, hoc* (ira scil.) *a sanitate desciscit.* Ep. XCIV. § 23. *sana . . avaritiam, de Benef.* VII, 31. § 1. *Si reverti ad sanitatem velit.*

Scr. Zutphaniae m. Februario MDCCCLVI. H. C. Michaëlis.